



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. II. Quo jure votu[m] solemne Religionis dirimat matrimoniu[m]
subsequens?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

ARTICULUS II.

*Quo iure votum solenne Religionis dirimat
matrimonium subsequens?*

10 **C**ertum & indubitatum est apud omnes, votum solenne Religionis dirimere quodcumque matrimonium subsequens; hoc enim definitur ab Alexandro III. cap. *Memimus*, ab Innocentio III. cap. *Finali*, Qui clerici vel votentes; a Bonifacio VIII. cap. *unico de voto* in 6. & novissime à Tridentino sess. 24. can. 9. cuius verba infra referemus. Verum celebris est controversia inter Theologos, quo iure tale votum dirimat matrimonium subsequens? Plures enim ex Recentioribus, post Scotum, Richardum, Paludanum, & Cajetanum, asserunt votum solenne Religionis, non dirimere matrimonium subsequens, nisi iure humano Ecclesiastico, E contra verò D. Thomas hic quæst. 72. art. 2. & 2.2. quæst. 82. art. 11. nec non quodlib. 3. art. 18. & quodlib. 10. art. 11. ejusque Discipuli, quos sequuntur Valentia, Sylvius, & Lopez, doceant, votum solenne Religionis, iure naturæ, sive ex sui natura, habere quod dirimat matrimonium contractum.

§. I.

Sententia D. Thomæ præfertur.

11 **D**ico igitur, votum solenne Religionis, iure naturæ dirimit matrimonium subsequens. Probatur primò conclusio ex Tridentino can. 9. supra citato, in quo sic dicitur: *Si quis dixerit Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem sollemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, anathema sit.* Ad quid enim distinxisset Concilium iritationem matrimonii causatam lege Ecclesiastica in iis, qui sacris Ordinibus initiati sunt, ab ea quæ in Religiosis causatur per votum, si iure solum Ecclesiastico, etiam in istis dirimi censuisset?

12 Probatur secundò: Votum solenne Religionis dissolvit matrimonium antea validum, si sit consummatum, idque non iure Ecclesiastico tantum, ut colligitur ex hac sententia Christi, Marci 10. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Ergo & a fortiori matrimonium subsequens; minor siquidem vis & efficacia requiritur ad dirimendum matrimonium subsequens, quam antecedens, ut patet in Ordine sacro dirimente matrimonium consequens, & non antecedens. Item majus est dirimere matrimonium jam consummatum, quam impedire illud ne efficiatur.

13 Probatur tertio: Si votum solenne Religionis dirimat matrimonium solum ex constitutione Ecclesiæ, fieri poterit quod sollemniter professus validum inerat matrimonium, quamvis non sit dispensatum in ejus voto, si nimirum Summus Pontifex constitutionem illam tollat, & votum solenne præcisè in eo vigore quem habet ex natura sua, relinquat. Falsitas autem consequentis constat ex cap. *Cum ad monasterium*, de statu Monachorum, in fine, ubi Innocentius III. sic ait: *Abdicatio pauperiatis, sicut etiam custodia castitatis, idcirco annexa est regula monachali, ut contra quam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.*

A Confirmatur: Quia iure tantum Ecclesiastico, votum solenne castitatis est annexum tantum Clericali, potest Papa, relinquendo Clericum in suo statu Clericali, dispensare cum eo in matrimonio contrahat, vel matrimonio jam contracto utatur; ut constat in Sacerdotibus Graecis, qui ex dispensatione Ecclesiæ, nuncunt conjugio ante sacram Ordinationem intro: Ergo Similiter, si votum solenne Religionis, non ex natura sua, sed ex sola Ecclesiæ constitutione vim habet impediendi matrimonium contrahendum, & dirimendi contractum, poterit Papa, hanc vim à voto solenni tollere, auferendo præceptum Ecclesiasticum, & tamen relinquere tale votum in suo subiecto, subindeque efficere potest quod Monachus manens Monachus nubat, ut remque ac liberos in monasterio habeat; quod aperte repugnat prædictæ decretali Innocentii III. ut fatentur ipsi Adversarii.

Deum eadem ratione D. Thomæ locis citatis: Jus naturæ dicitur, ut qui se aliquid donavit totaliter alteri, ea que donatio fuit ab illo acceptata, non possit illud idem postea alteri tradere: Sed per votum solenne Religionis votens totaliter se donat Deo, corpusque illi ad perpetuam continentiam tradit; quæ donatio & traditio, ab eo per Religionis Prælatos acceptatur: Ergo jus naturæ dicitur, quod non possit suum corpus alteri per matrimonium tradere, in ultum contrarium voto, quo Deo illud donavit & tradidit.

Confirmatur: Ideò matrimonium ratum dirimit ex natura sua matrimonium subsequens, quia cum per prius matrimonium, contrahens suum corpus tradiderit uni uxori, non potest ipsum, ea vivente, tradere alteri: Ergo cum per votum solenne Religionis, votens suum corpus Deo totaliter mancipat, ne dicamus illam traditionem habere minus roboris, ea quæ quæ suum corpus tradit uxori per contractum matrimoniale, dicendum quod iure naturæ dirimit matrimonium subsequens.

Nec valet quod ait Martinus hic disp. 74. sect. 3. num. 43. quod licet professio Religiosa contineat aliquam sui traditionem, non tamen omnimodam, & naturaliter incompatibilem cum matrimonio; sed sicut servus voluntarius, & emptitius, non ita dominæ traditur, ut privetur naturali jure matrimonium inveniendi, dominus licet in vivo; sic professus in Religione approbata, non ita se tradit Deo & Religioni, ut quantum est ex natura rei, non possit valide matrimonium contrahere, quamvis illicitè. Non valet, inquam hæc responsio: esto enim professio Religiosa non importet omnimodam sui traditionem Deo & Religioni; importat tamen traditionem sui ad castè vivendum; Sed traditio sui ad castè vivendum, est ex sua natura incompatibilis cum matrimonio, cum illud sit sui traditio ad copulam carnalem: Ergo professio Religiosa importat traditionem naturaliter incompatibilem cum matrimonio, subindeque habet quod illud iure naturæ, seu ex natura sua, dirimat, non verò solo jure positivo Ecclesiastico. Ex quo patet, exemplum servi ab illo Authore adductum, non esse ad rem servus enim voluntarius, vel emptitius, non se tradit domino ad castè vivendum, sicut Religiosus Deo, sed ad exercenda opera servilia, unde licet servus, per servitutem non privet se naturali jure matrimonium inveniendi, bene tamen Religiosus, per votum solenne castitatis.

castitatis; quare si, non obstante tali voto, matrimonium contrahat, peccat contra jus naturale, & divinum, & non solum contra jus positivum & Ecclesiasticum. Unde in cap. *Si quis sacro* 27, quæst. 1, de virginibus Deo sacris, & postea nubentibus, sic dicitur: *Verbo Domini, & canonica auctoritate, in hac sancta Synodo (Triburienſi) præcipimus, ut omnino separentur.*

§. III.

Solvuntur objectiones.

18 **O**bjicies primò: Quando duo vincula ita se habent, quod sunt compossibilia, unum non solvit aliud ex natura sua: Sed votum solumne Religionis & matrimonium subsequens, sunt duo vincula sic se habentia, ut sint compossibilia simul; conjugatus enim potest Religionem solumniter profiteri, etiam post consummatum matrimonium, de licentia conjugis: Ergo votum solumne Religionis non dirimit matrimonium ex natura sua.

19 **R**espondeo distinguendo Minorem: Votum solumne Religionis, & matrimonium, sunt duo vincula simul compossibilia, si votum solumne Religionis sequatur matrimonium, concedo Minorem. Si è contra ipsum præcedat, nego Minorem, & Consequentiam.

Explicatur: Sicut impotentia ad actum conjugalem non sic repugnat vinculo matrimonii, quia possit matrimonio prius contracto supervenire, absque eo quod ipsum dissolvat, si tamen ipsum præcedat, irritabit matrimonium subsequens. Ita votum solumne Religionis non sic repugnat matrimonio, quin possit illud subsequi; si tamen præcedat, matrimonium post ipsum contractum, jure naturæ irritum est. Ratio vero disparitatis manifesta est, ut enim matrimonium valide contrahatur, debet contrahens transferre in alium sui corporis potestatem, & jure utendi, quod tamen repugnat, voto solumne Religionis præcedente, quandoquidem, ut supra dicebamus, per tale votum vovens talem potestatem à se omnino abdicat, & ad castè vivendum perfectè Deo se tradit. At verò post matrimonium contractum, potest esse quod unus conjugum vel amiserit per adulterium potestatem utendi corpore alterius conjugis, vel sponte jur illi cedat, & consequenter nihil sit amplius in ejus matrimonio, quod repugnet voto solumni. Ex quo intelliges, falsum esse quod ait Martinus supra citatus, cujus est hæc argumentum, quod non est major impossibilitas ex natura rei inter vinculum matrimonii & professionem Religionis, sive vinculum matrimonii illam præcedat, sive sequatur; liquet enim ex jam dictis manifestam esse disparitatem inter matrimonium antecedens professionem Religionis, & matrimonium illam subsequens.

20 **O**bjicies secundo idem Author ibidem: Traditio Professus ad usum Religionis, à quos ille sedat, & subjicit, non est major, quam sit traditio, per quam mancipium subjicitur domino per venditionem, aut alium titulum justum: At hæc non obstat, quò minus mancipium possit valide inire matrimonium, etiam domino resistente. Ergo pariter traditio professus ad usum Religionis, quæ fit in voto solumni non impedit quin Religiosus valide possit, spectato jure naturæ, contrahere matrimonium.

21 **V**erum huic argumento solutio patet ex su-

A præ dictis, ostendimus enim supra, traditionem quæ fit per vota solumnia Religionis, esse diversæ rationis ab ea quæ mancipium tradit se domino; nam per vota solumnia Religionis, vovens tradit se Deo & Religioni ad castè vivendum, & servandum perfectam continentiam; mancipium verò tradit se domino solum ad exercenda opera servilia; quare licet ista traditio non opponatur ex sua natura matrimonio, nec illud jure naturæ dirimat, bene tamen illa. Ratio verò cur traditio quæ fit per professionem Religionis essentialiter importet votum castitatis, est quia per illam Religiosus totaliter mancipatur cultui divino, id est divinorum contemplationi & meditationi: hæc autem perfecta traditio sui ipsius in ordine ad cultum divinum, necessariò includit castitatem, eò quod matrimonium contemplationi omnino repugnet: Tum quia contemplatio purissimis spiritibus fovetur, usus autem venereorum consumit multitudinè spirituum, sanguinemque à cordè distrahit, cujus collectio ad mentis attentionem necessaria est; unde mentis hebitudinem causat. Tum etiam, quia matrimonium multas affert curas & sollicitudines, ad placendum uxori, ad educandos liberos, & providendum eis de necessariis ad vitam sustentationem. Unde Apostolus 1. ad Corinth. 7. *Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quemodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quemodo placeat uxori, & divisis est.*

Objicit tertio Martinus: Votum solumne Religionis non dirimit matrimonium, nisi quatenus est solumne: Sed voti solumnitas est de jure tantum Ecclesiastico: Ergo jure tantum positivo Ecclesiastico, non verò jure naturali, aut divino, votum solumne Religionis matrimonium dirimit. Major est certa, votum enim simplex castitatis, vel Religionis, non dirimit matrimonium, sed tantum ipsum impedit; unde inter impedimenta prohibentia numeratur, ut disputatione præcedenti declaravimus. Minor verò probatur ex Bonifacio VII. qui interrogatus ab Episcopo Biterrensi, quod votum dici debeat solumne, & ad dirimendum matrimonium efficax? Respondit cap. unico de voto, & voti redemptione, in 6. quod cum voti solumnitas ex sola constitutione Ecclesiæ sit inventa, matrimonium verò vinculum sit ab ipso Deo, illud votum debet dici solumne, quod per susceptionem sacri Ordinis, aut per professionem in Religione approbata solemnizatur. Ubi Pontifex expressè asserit, solumnitatem voti esse ex sola constitutione Ecclesiæ, & in hoc differre à vinculo matrimonii. Unde infert Ecclesiæ non admittere nisi duplex votum solumne celebratum in susceptione Ordinis, aut per professionem Religionis.

Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, & ad ejus probationem ex Bonifacii Decretali desumptam dico, duplicem esse voti solumnitatem; unam substantialem & essentialem, consistentem in traditione sui ipsius facta in manu superioris, ad servandum illa quæ promittuntur, & in acceptatione quam is facit nomine Dei; aliam verò accidentalem & ceremonialem, quæ consistit in cerimonia & modo, in benedictione & consecratione quibuscum ex statuto Ecclesiæ sit illa traditio & acceptatio; Pontificemque loco citato non loqui de prima solumnitate, sed tantum de secunda, quæ est ex sola constitutione Ecclesiæ, subindeque nihil ex hac definitione, se-

qui

qui contra sententiam, quæ afferit votum solemne non habere ratione solemnitate accidentalis, sed substantialis, quod iure naturæ, seu ex natura sua, matrimonium dirimat. Imò potius ex hac Constitutione Bonifacii potest D. Thomæ sententia confirmari: cum enim vinculum iure Ecclesiastico introductum, superueniens vinculo introducto iure divino, non possit ipsum tollere, quia hoc est fortius; & tamen votum solemne Religionis dirimat matrimonium ratum, nondum consummatum, cuius vinculum ex hac Bonifacii Constitutione est de iure divino, concludi debet, voti solemnitas est de iure divino, iuris Ecclesiastici, sed naturalis & divini.

24 Dices primò: Ex eo duntaxat quod accidentale est voto solemnini, non potest definiri quodnam votum debeat dici solemne ad dirimendum matrimonium: Sed ex eo quod solemnitas, de qua loquitur Pontifex loco citato, sit ex sola Constitutione Ecclesiæ inventa, deducit duplex solum reperiri votum solemne hunc effectum producat, nempe votum solemne celebratum in susceptione Ordinis sacri, & per professionem in Religione approbata: Ergo non loquitur de solemnitate accidentali, sed de substantiali.

Respondeo distinguendo Majorem: Ex eo quod accidentale est voto solemnini, non potest definiri quodnam votum debeat dici solemne ad dirimendum matrimonium, tanquam ex eo in quo substantia voti solemnitis consistat, concedo Majorem, Præcisè tanquam ex signo indicativo ipsius, nego Majorem, Solemnitas enim illa accidentalis, cum non sit in usu Ecclesiæ pro votis simplicibus, sed tantum pro solemnibus, indicat quod duplex sit votum solemne. Similiter distinguo Minorem: Ex eo quod solemnitas de qua loquitur Pontifex, sit ex sola Constitutione Ecclesiæ, deducit duplex solum reperiri votum solemne, tanquam ex eo in quo substantia voti solemnitis consistit, nego Minorem. Tanquam præcisè ex signo, concedo Minorem, Sensus ergo definitionis Pontificiæ verus est iste: Nos igitur attendentes, quod signa extrinseca declarativa voti solemnitis, sunt ex Constitutione Ecclesiæ, cum que ex tali Constitutione signa illa in duobus solum votis reperiantur, scilicet in eo quod Ordines sacri habent annexum, & in illo quod emittitur in professione Religionis, statuimus illa duo vota duntaxat esse solemnina, & dirimere matrimonium subleantur.

25 Dices secundò, si Pontifex statueret, ut ea vota quæ in Religione approbata, verbi gratia in Ordine Prædicatorum emittuntur, non essent solemnina, quantumcumque votens in tali Religione, intendet solemniter vivere, & seipsum Deo tradere, nunquam tamen emitteret votum solemne: Ergo non solum solemnitas accidentalis, sed etiam substantialis, pendet ab Ecclesiâ.

Sed nego Consequentiam: Sicut enim licet Ecclesiâ possit efficere ut matrimonium quod antea erat verum & legitimum, non sit amplius tale, apponendo aliquas condiciones, sine quibus non est validum, ut patet in matrimoniis clandestinis, quæ post Tridentinum non sunt valida; inde tamen colligi nequit, quod substantia & essentia matrimonii ab Ecclesiâ dependeat: Ita quamvis votum solemne dependeat ab Ecclesiâ, quantum ad aliquas condiciones, purè quod fiat in tali rate, in tali Religione, in manibus talis superioris, ita ut sine illis non sit; non sequitur tamen, quod ipsa substantia voti solemnitis non sit de jure

A re divino, subindeque independentes ab Ecclesiâ. Obijces quarto: Quidquid convenit voto solemnini essentialiter, convenit etiam voto simplici: Sed votum simplex non habet ex propria natura vim dirimendi matrimonium, ut nec præcedenti ostendimus: Ergo nec votum solemne. Major probatur, quia votum simplex & votum solemne, si sint de eodem objecto, sunt ejusdem speciei.

Respondeo, negando Minorem, & ad illam probationem, distinguo Antecedens: Sunt ejusdem speciei, formaliter, quatenus sub eadem ratione formali Religionis tendunt in obiectum, concedo. Materialiter & in esse entis, nego. Sicut omnes actus alicujus scientiæ, sunt ejusdem speciei formaliter, quatenus tendunt in obiectum scientiæ, sub ratione ejus formali; & tamen materialiter & in esse entis sunt diversæ speciei, quia habent objecta materiali speciei distincta. Differentia autem essentialis inter votum solemne & simplex, consistit in hoc quod simplex, est votum promissio facta Deo, at vero solemne, supra promissionem, addit traditionem & acceptationem.

Dices: Traditio & promissio inter se pugnant, id enim quod traditur & donatur, promissum non potest: Sed votum quodcumque, etiam solemne, essentialiter habet rationem promissionis, ut constat ex definitione essentiali voti, qui dicitur quod sit promissio Deo facta: Ergo falsum est quod traditio sit voto solemnini essentialis.

Respondeo, distinguendo Majorem: Traditio & promissio inter se pugnant, si ambo referantur ad idem, concedo. Si promissio sit de uno, & traditio de alio, nego. In voto autem solemnini, traditur unum, & promittitur aliud: traditur enim arbor, & fructus promittuntur; id est traditur ipsa persona votentis, & promittuntur actus ad observantiam voti necessarii, qui sunt veluti fructus potentiarum animæ nostræ, quæ per votum solemne Deo traduntur & consecrantur.

Obijces quintò cum Matrimonio: Si votum solemne dirimeret, ex natura rei matrimonium subsequens, semper illud dirimeret, quousque fuisset emissum ante matrimonium: Atque qui primis Ecclesiæ sæculis talia non dirimit, ergo votum solemne ex natura rei matrimonium non dirimit, Major patet. Minorem vero probat Auctoritatis ex eo quod in primitiva Ecclesiâ Monachi qui post votum solemne constituti matrimonium contraxerant, licet excommunicarentur, ab uxoribus tamen non separabantur, ut patet ex Concilio Chalcedonensi Act. 15. can. 16. cujus verba sunt: *Virgines quæ se Deo consecravimus, similiter & Monachum, qui se uxori conjugaverit, quod si hoc invenimus fuerit perperam, excommunicentur.* Idem constat ex Concilio Ancyrano can. 10. & ex Neocaesariensi can. 10.

Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, & ad ejus probationem, nego Antecedens, falsum enim est quod in primitiva Ecclesiâ non separarentur ab uxoribus vel viris, Monachi aut Virgines, quæ post votum solemne contractum matrimonium contraxerant; oppositum enim aperte constat ex Basilio Epist. 1 ad Amphilo- chium can. 6. ubi sic habetur: *Canonem (id est Religiosorum) formatio pro matrimonio non reputatur, sed eorum conjunctio omnino dirimitur.* Et in Concilio Triburienti supra relato, de virginibus Deo sacratis, & postea nubentibus, sic dicitur:

tur. Verbo Domini & Canonica auctoritate in hac sancta Synodo precipimus, ut omnino separantur. Unde licet in Concilio Calcedonenſi non fiat mentio de ſeparatione, ſed tantum de excommunicatione, non recte colligit Auctor citatus, quod Monachi, aut Virgines, quæ poſt votum ſolemne caſtratis matrimonium contraxerant, in primitiva Eccleſia non ſepararentur ab uxoribus, vel maritis; ſiquidem ex auctoritate negativa nihil concluditur, præſertim cum adducuntur jura poſitiua in contrarium. In Concilio verò Ancyrano, & Neocaſarienſi non fit mentio de Monachis, aut monialibus, ſed de ſacerdotibus, ut conſtat ex verbis Concilii Neocaſarienſis: *Presbyter ſu uxorem duxerit, ab Ordine deponatur. Si verò fornicatus fuerit, vel adulterium perpetraverit, extra Eccleſiam abiciatur, & penitentiam inter Laicos redactus agat.* Unde hæc teſtimonia non militant contra noſtram ſententiam, ſacrum enim votum ſolemne Ordinibus ſacris annexum, non dirimere matrimonium jure divino, ſed tantum Eccleſiaſtico. Rationem verò diſcrimini inter votum ſolemne annexum ſacris Ordinibus, & miſſum in Religione approbatum, adducemus infra, cum agemus de impedimento Ordinis.

31 Obijciunt ultimo: Si votum ſolemne in Religione approbatum, jure naturæ nullum redderet matrimonium ſubſecutum, maxime, quia, ut dictum eſt, præter promiſſionem omni voto eſſentiale, habet in ſuper adductam traditionem & acceptationem: Sed hæc ratio nulla eſt: Ergo ruit præcipuum fundamentum noſtræ ſententiae. Major conſtat ex ſuprà dictis, Minor probatur. Vota quæ poſt biennium probationis emittuntur à Religioſis Societatis Jeſu, non ſunt ſolemnia, ſed ſimplicia, ut diſcitur expreſſe in Bulla Gregorii XIII. conceſſa Societati, & incipiente: *Aſcendens Dominus in naviculam*, proindeque non ex jure naturæ, ſed tantum ex jure Eccleſiaſtico ibidem contento, reddunt inhabiles ad contrahendum matrimonium; & tamen in eis eſt vera traditio & acceptatio Eccleſiae, quia per ea vota verè qui illa emittunt, ſe tradunt, ſubſcunt, & mancipant arbitrio & poteſtati ſuperioris, ita ut minime impoſterum ſit eis integrum, abſque apoſtoliæ labe, ab eo inſtituto propriâ auctoritate, ſed tantum aliter recedere; vota que illa à ſuperiore acceptantur, nomine Dei, ex ſacratæ ſedis Apoſtolice: Ergo &c.

32 Reſpondeo diſtinguendo Majorem: Quia votum ſolemne, præter promiſſionem, habet adductam traditionem, qualemcumque, nego, Perfectiſſimam, & abſolutam, concedo. Ad probationem verò in contrariam, deſumptam ex votis ſimplicibus, quæ poſt biennium probationis à Religioſis Societati Jeſu emittuntur, dicendum eſt, quod licet in votis illis ſit aliqua traditio & acceptatio, illa tamen non eſt perfecta, & abſoluta, ſicut illa quæ ſit per vota ſolemnia ejusdem Societatis, & aliorum Ordinum, ſed imperfecta, & conditionata; quia per illa moventes ſe tradunt quidem, ſubſcunt, & mancipant arbitrio & poteſtati ſuperioris, non abſolutè tamen, ſed tantum ſub conditione quod remaneant Societate ita ut ſi dimittantur remaneant in liberi à votis. Unde Vazquez, hæc ponit differentiam inter votum ſolemne, & vota ſimplicia quæ poſt biennium emittuntur in Societate Scholares, & poſt diuturniorem probationem Coadjutores ſpirituales formati, quod traditio in iſtis eſt temporanea, ad nutum Præpoſiti Generalis,

A) juxta cauſas in Conſtitutionibus ejusdem Societatis expreſſis: verò traditio in voto ſolemni, ex natura ſua perpetua eſt. Non mirum, ergo quod vota illa ſimplicia non dirimant matrimonium ex natura ſua, ſed tantum jure Eccleſiaſtico, licet ſolemnia id præſentent, etiam ex jure naturæ.

§. IV.

Solvitur alia obſectio.

Demum contra D. Thomæ ſententiam Recentiores obijciunt: Sedes Apoſtolica non potest diſpenſare in his quæ ſunt de jure naturæ: Sed diſpenſavit cum aliquibus Religioſis profeſſis, ut nuberent: Ergo votum ſolemne Religionis non dirimit matrimonium jure naturæ, ſed duntaxat jure poſitivo Eccleſiaſtico. Majorem ut certam ſupponunt, Minorem vero probant ex variis hiſtoriis, quibus Summum Pontificem, cum Religioſis profeſſis, ut matrimonium contraherent, diſpenſaſſe reſertur. In primis enim dicitur, Cæleſtinum III. Conſtantiam Rogerii Siciliæ Regis filiam, quæ in Monasterio Panormitano monialis fuerat, diſpenſaſſe, ut Henrico Imperatori quinquagenaria nuberet. Cum enim Rogerius in expeditione Jeruſolimitana mortuus eſſet, Tancredus ejus regnum tyrannicè occupavit, & iſſuper Cæleſtino obedientiæ denegavit. Quæ de re commotus Pontifex, cum regno privavit, atque Henricum ſextum Imperatorem juſſit ducere Conſtantiam, ut eo matrimonio ad regnum Siciliæ integrum jus haberet. Ex quo matrimonio natus eſt Fridericus ſecundus, ut conſtat ex veteri Epitaphio, quod lapidi ſepulchrali poſt mortem Conſtantiae inſculptum eſt.

Cæſaris Auguſti lætæ hic Conſtantia conjux.

Vndeno luſtro hac platea rugoſa Sacerdos

Faciæ deduxit partum Fridericum Auguſta ſecundum.

Pro meritis ſacrata tenet ſic oſſa Panormiæ.

Ubi vocatur rugoſa Sacerdos, quod multis annis in Monasterio Panormitano monialis fuerat. Secundò reſertur, fuiſſe diſpenſatum cum Ramiro Aragoniæ Rege, qui erat Monachus S. Benedicti, ut nuberet, & Aragoniæ regnum occuparet. Addunt alii, Caſimirus, cum per decem annos in Monasterio Caſſinenſi fuiſſet Monachus, imò & Diaconus, à Benedicto IX. ad Polonorum petitionem diſpenſatum fuiſſe, ut ad regnum & ad nuptias tranſiret. Demum alii aſſerunt, Alexandrum III. ad conſtituendam Juſtinianam familiam, in bello contra Turcas exercitum, Nicolaum Juſtinianum, patrem B. Laurentii Juſtiniani, diſpenſaſſe, ut relicto habitu S. Benedicti, nuberet, ut reſert Bernardus Juſtinianus ejus nepos, in vita ipſius Laurentii, apud Surium 8. Januarii.

Hic objectioni, conceſſa Majori, tripliciter reſpondetur ad Minorem: Primò, Summos Pontifices in illis diſpenſationibus ſecutos fuiſſe opinionem; quæ apud Canonistas reputatur probabilior. Secundò, eorum licentias quoad hoc, non fuiſſe diſpenſationes, ſed declarationes nullitatis profeſſionum prædictorum Monachorum, propter defectum conſenſus, vel alterius conditionis. Tertiò ſabuloſas eſſe, vel ſaltem valde dubias, illas hiſtorias. Nam in primis quoad eam quæ eſt Conſtantiae, Baronius ad annum 1186. hæc ſcribit: *Quod autem ex Recentioribus quamplures aſſerunt, Conſtantiam Monialem fuiſſe, ſcias fabuloſum eſſe, atque commentum fortæ inde excogitatum, quod ipſa aſſervata fuiſſet in Monasterio, ut ſi de-*

Ggg

fugit

fuisse Regibus mascula proles, spes esse potuisset nubendi Regum domo regni. Ibidem etiam addit, nullum scriptorem temporis Frederici, aliquid dicere de monachatu Constantie. Quod si (inquit) nubes cessum id rumore quodam conculcasse, potius quam auctoritate Majorum, vel certâ ratione asseruisse cognoscitur, eadem plane quâ effutitur levitate, reuincitur. Addit insuper hanc historiam variis esse refertam mendaciis. Cælestinus enim non favebat Henrico, sed potius Tancredo; quomodo ergo dispensavit in matrimonio Constantie cum Henrico, contra Tancredum? Quomodo etiam, illa quinquagenaria nupit, quæ decanum quadragesimum quartum attigerat, cum defuncta est? Quâ etiam ratione fieri potuit, ut Constantia in Monasterium detrunderetur à patre, perterritio varicinio Joachimi Abbatis, qui esserebat quod si nuberet, foret Sicilia funesta, ut narrat Fazellus, cum ipsa nata sit posthuma, ut omnes farentur Historicis, & constat ex his verbis quæ B refert Baronius:

Sponsa fuit speciosa nimis Constantia dicta.

Posthuma post patrem materno ventre relicta.

Denique ipsa variatio Authorum satis ostendit, hanc historiam, meram fabulam esse; cum alii Cælestinum III, alii Alexandrum III dicant Constantiam dispensasse, cum tamen Alexander III. mortuus esset quinque fere annis antequam ipsa exiret à Monasterio. Addit P. Nicolai 2. 2. quæst. 88. in scholis ad art. 3. quod si quæ fuisset revera data dispensatio à Cælestino, vel Alexandro, D. Thomas huiusmodi temporibus vicinus, eam haud dubiè non ignorasset.

Ad exemplum Ramiri Aragonie Regis, Soto dicit, historiam illam in Chronicis illius regni non haberi, sed esse apocrypham; præsertim cum non nominetur Pontifex, à quo talis dispensatio emanaverit; & Sylvester verbo *volum*, Ramirum non fuisse professum asserat.

Ad aliud de Casimiro, humiliter dico, illud non carere dubietate, cum alii Benedictum IX. alii Clementem II. cum eo dispensasse narrent, & illius dispensationis nullum extet monumentum, ut apud Baronium ad annum 1041. videtur. Suntque ex gravibus Authoribus, qui dicunt, Casimirum emisisse quidam vota sua, sed vi & metu à Boleslao coactum; quod inde colligunt, quod exilio pulsus una cum matre, Clania cum perit, ibique ad maiorem securitatem, habitum Monachi suscepit. Ubi tamen, statu regni mutato, addivit Legatos venisse, ut ad regnum ipsum reducerent, incredibili gaudio (inquit Longinus) affectus est.

Ad ultimum de Nicolao Justiniano, respondo etiam ex Batonio citato. Authorem huius historie dup inter se pugnantia scripsisse, ait eum Alexandrum III. cum Nicolao Justiniano dispensasse, & B. Laurentium Justinianum ejus filium, claruisse tempore Eugenii IV. & ab eo Episcopali insula insignitum fuisse. Quæ duo inter se pugnant, quandoquidem Alexander III. Eugenium plusquam ducentis annis præcessit, Prior enim obiit anno 1181. posterior creatus est anno 1331. Cui ergo hæc exempla tam impotenter urget lib. 12. Moralium institutionum Azorius, & similis, vel incerta, vel falsa, ut doctissima D. Thomæ contradicat? Rectius sane Lopez apud Sylvium: *Lacet dicat Narratio, qui a maior pars non dubitat, Papam dispensasse super solenni voto Religionis facto, ex gravissima necessitate, quod quid sit de hoc, salva Ecclesiæ Catholice censura, quæ de*

A hoc hæc tamen nihil definitur, tenet cum S. Thomæ, & quibus ejus, quia illius rationes videntur fortiores.

ARTICULUS III.

De impedimento cognationis.

Cognatio triplex est; carnalis, quæ per carnalem generationem derivatur; spiritualis, quæ per regenerationem in sacro fonte baptizantis, & in Chrismatris sacramento; & legalis, quæ per legis adoptionem comparatur; de quibus breviter hic agendum est, cum per illam matrimonium dirimatur.

§. I.

De impedimento cognationis carnalis, seu consanguinitatis.

Consanguinitas, sic dicta, quasi *consanguis* (quæ unitas, ex D. Thomâ hic quæritur) est vinculum personarum ab eodem stipite descendit, carnalis propagatione contrahitur, id est relatione quædam mutua in communicatione ejusdem sanguinis fundata, quæ amicitiam radit. Unde Augustinus 12. de civit. Dei cap. 11. idem Deus ab uno homine omnes propagari voluit, ut non tantum inter se natura similiter, verum etiam cognationis affectu homines misceretur. Quod non servavit in brutis, quæ non ex angulo propagantur, sed plura simul existerent. Propterea in brutis consanguinitas non est, quia ut ait S. Doctor in resp. ad 5. in eis sanguinis participatio ad amicitiam non ordinatur. Dicitur, ab eodem stipite descendit, id est ab eodem homine, à quo procedunt alii, & pullulant, sicut rami à stipite, ita de propinquo, ut ejus virtus in descendentibus perleveret, non solum secundum similitudinem specificam, aliis omnes homines ab Adamo descendentes, essent consanguinei, sed secundum similitudinem individui, juxta quam avus & parentes assimilant sibi prolem in figura & complexione.

Ex stipite autem deducuntur linea & gradus. Linea est ordinata collectio personarum ab uno stipite descendit, metapora ducta à linea, quæ ab uno puncto videtur derivari. Gradus est habitudo seu mensura distantiarum personarum, quæ cognoscitur quora consanguinitatis distantia aliqui conjungantur, metapora ducta à scala, ut habetur expressè l. *transmissum* ff. de gradibus. Linea autem triplex est, recta ascendit, nimirum Patris, Avi, Proavi &c. recta descendit, Filii, Nepotis, Pronepotis &c. Et transversalis, seu collateralis, quæ est collectio eorum qui quidem à nobis non ducunt originem, nec nos ab ipsis, ambo tamen ab uno stipite originem ducimus. Rursus hæc transversalis est duplex; alia est æqualis, quando ambo qui comparantur, æquè distant à communi stipite, ut duo fratres, duo fratrum filii &c. Alia inæqualis, quando nimirum non æqualiter distant à communi stipite, ut si commaretur frater cum filio fratris sui. His suppositis,

Triplex assignatur regula à D. Thomâ art. 2. quæstionis citatæ, Prima est: In linea recta ascendit & descendit, & deinceps, si nulla persona mediet inter alias duas, ille duarum in primo gradu